



PONTIFICIUM CONSILII
DE LEGUM TEXTIBUS

Communicationes

VOL. XLIII • N. 2

2011

COETUS STUDII « DE PROCESSIBUS »

Sessio VII^a – Series Altera
(diebus 14-19 maii et die 11 iunii 1979 habita)

[...]

Adunatio VI^a
die 19 maii 1979 habita

Incipit examen Schematis De procedura administrativa in genere.

Praesentes sunt Exc.mi Castillo Lara et Sabattani (Relator), Rev.mi Pinto, Damizia, O'Connell, Gordon, Dordett, Maida et Ill.mus Ciprotti.

Munere praesidis functus est Exc.mus Secretarius Castillo Lara et munere actuarii Rev.mus Voto, Officialis Commissionis.

Mens Consultorum est ut hoc examen fiat praesertim ratione coordinatio-nis huius schematis cum aliis partibus iuris processualis necnon cum aliis partibus Codicis. Etenim revisio schematis, iuxta animadversiones factas ab organis consultationis, habita est anno 1973. Nunc ergo quaestio praecipue est de coordinandis normis cum aliis partibus Codicis, non exclusa tamen aliqua emendatione quae forte necessaria vel opportuna videatur.

Antequam canones examinentur, Rev.mus primus Consultor quaestionem praeliminarem ponit ut denuo definiatur competentia Sectionis Alterius Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae.

Votum Consultoris est ut illa Sectio Altera videat non tantum de illegiti-mitate actus impugnati, sed etiam de merito causae.

Alii Consultores sunt contrarii ut haec quaestio discutiatur quia haec materia pertinet ad Constitutionem Regimini Ecclesiae Universae, de cuius revisione nullum mandatum nostrae Commissioni commissum est.

Ceterum ipsi Consultores votum exprimunt ut Sectio Altera Signaturae Apostolicae videat tantum de legitimitate actus impugnati.

* * *

I. NORMAE GENERALES

Canon 1

§ 1. Quae hac lege de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad rescripta, preecepta, dispensaciones, licentias, et generatim ad omnes administrativos

actus, qui in ecclesiastici regiminis exercitio in foro externo singulis personis vel communitatibus extra iudicium dantur, iis exceptis, qui ab ipso Romano Pontifice vel ab ipso Concilio Oecumenico ferantur.

§ 2. Hac lege nihil mutatur de iure vigenti, quod attinet ad leges, ordinaciones, instructiones, decreta generalia, aliosque eiusmodi actus ferendos vel impugnandos.

§ 3. Item hac lege nihil mutatur de iure vigenti, quod attinet ad decreta, quae a superioribus vel capitulois in religionibus, in societatibus de quibus in cann. 673-681 Codicis Iuris Canonici, in Institutis saecularibus feruntur. De his autem caveatur iure particulari.

De sententia Consultorum plures normae sub hac rubrica Canones generales positae, debent vel supprimi vel transferri ad aliam partem Codicis, vel mutari. Schema enim de procedura administrativa in genere redactum fuit tanquam M.P., vigente adhuc Codice Iuris Canonici, forte promulgandum: en ratio cur quaedam normae in schemate positae fuerunt, quae nunc omitti vel transferri debent.

Circa can. 1 omnes convenient §§ 2-3 supprimendas esse. Nonnulli Consultores supprimere vellent etiam § 1, sed Ciprotti demonstrat necessitatem retinendi hanc normam ratione claritatis et technicae iuridicae.

Post brevem disceptationem, omnes concordant ut can. 1 ita redigatur:

«Quae in canonibus huius sectionis de decretis statuuntur applicanda sunt ad omnes administrativos actus singulares, qui in foro externo extra iudicium dantur ...».

Canon 2

Quae hac lege statuuntur, eatenus valent, quatenus aliter non caveatur canonibus, qui de singulis negotiorum generibus normas dant.

Ill.mus secundus Consultor proponit ut hic canon retineatur, sed alii Consultores censem normam esse superfluam.

Canon 3

Conferentia episcopalis potest suis legibus, praeter ea quae in aliis huius legis canonibus ei tribuuntur, normas, quae praescriptis iuris communis non derogent, de his, rebus ferre:

a) de ratione procedendi in decretis extra iudicium ferendis et intimandis, in petitionibus, de quibus in can. 16, examinandis, in aequis solutionibus, praeter contentiones, exquirendis, in recursibus adversus decreta examinandis et iudicandis;

b) de iudicium, promotoris iustitiae, patronorum, aliorumque, qui in recursibus examinandis vel iudicandis partem habeant, qualitatibus, incompatibilitatibus, nominatione, cessatione a munere.

Fere omnibus Consultoribus placet hunc canonem delere, cum mente complendi can. 39 circa facultates quae forte placeat Episcoporum Conferentia tribuere de legibus in re ferendis.

Fit suffragatio placeatne supprimere can. 3:

Placet n. 8; se abstinet a sententia ferenda n. 1 (Ill.mus secundus Consultor).

Canon 4

Episcopus potest suis legibus normas dare, quae praescriptis iuris communis et legis Conferentiae Episcopalis non derogent, de ratione procedendi in decretis ferendis et intimandis ab iis auctoritatibus, quae ipsi Episcopo subsunt.

Omnibus Consultoribus placet hunc canonem delere, quia pertinet ad partem de Normis Generalibus.

II. DE DECRETIS EXTRA IUDICIUM FERENDIS ET INTIMANDIS

Canon 5

§ 1. Antequam decretum extra iudicium ferat, superior necessarias notitias et probationes exquirat; nisi impossibile vel omnino superfluum sit, eos omnes saltem audiat; quorum iura laedi possunt; petitori vel recurrenti, et etiam legitime contradicenti, si velint, notitias et probationes patefaciat, quae sine publici vel privati damni periculo cognosci possint, et rationes forte contrarias ostendat, data eis facultate respondendi, et etiam, si id utile censeat, patronum vel peritum constituendi.

§ 2. Quod si agatur de decreto, quo recursus adversus aliud decretum deciditur, recurrentis semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrentis patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrentis ipse compareat ut interrogetur.

Quoad primam partem § 1 omnes concordant ut confluat in can. 48 *De Normis Generalibus*.

Circa alteram partem § 1 («Petitori vel recurrenti, et etiam legitime, etc...») fit quaestio an retinenda sit.

Rev.mus primus Consultor proponit ut transferatur in can. 15, § 2.

Rev.mi tertius, quartus, quintus et sextus Consultores proponunt ut supprimatur, quia continet cautelas tales quae nimis potestatem Episcopi enervant.

De sententia Exc.mi Relatoris, cautions illae faciunt ut processum aliquem instituatur, antequam ipsum decretum feratur, quod incongruum videtur.

Fit suffragatio placeatne delere alteram partem § 1:

Placet n. 4; non placet n. 2; se abstinent a sententia ferenda n. 3.

Exc.mus Secretarius proponit ut § 2 transferatur post can. 22.

Quae propositio omnibus placet.

Canon 6

§ 1. Quoties lex iubeat decretum ferri vel ab eo, cuius interest, petitio vel recursus ad decretum obtainendum proponatur, superior quamprimum, salva iustitia et pastorali prudentia, providere curet.

§ 2. Si post sexaginta dies a recepta petitione vel recursu superior decretum nondum tulerit, et petitor vel recurrens scripto instet ut decisio detur, tricesimo die, ex quo haec instantia ad superiore pervenit, petitio vel recursus pro reiecto habetur, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possint, tamquam si eo die per decretum prolata sit et intimata.

§ 3. Recursus adversus tacitam reiectionem ad normam § 2 non amplius admittitur, si pendente termino triginta dierum, de quo in eadem paragrapho, superior provideat, et suum decretum intimet; sin autem ipse post transactum eum terminum provideat, invalidum est decretum, nisi instantis consensu scripto convalidetur.

§ 4. Leges particulares, de quibus in can. 3, possunt de hac re terminos breviores statuere, vel etiam, quod attinet ad nonnulla gravioris difficultatis negotia, longiores.

Omnibus Consultoribus placet ut § 1 transferatur in Lib. *De Normis Generalibus*.

De sententia Ill.mi secundi Consultoris, norma § 2 alium et alium valorem habet si retineatur sub rubrica *de decretis extra iudicium ferendis et intimandis*, vel si ponatur sub rubrica *de recursibus adversus decreta*.

In primo casu habet valorem etiam substantialem, quod scilicet silentium superioris efficaciam habet tacitae reiectionis petitionis vel recursus ad decretum obtainendum; in secundo vero casu norma habet valorem processualem tantum, quod scilicet illud silentium habetur ut reiectio petitionis ad effectus tantum processuales, ita ut recursus adversus reiectionem proponi possit.

Fit suffragatio placeatne tribuere huic normae effectus processuales tantum:
Placet n. 8; non placet n. 1 (Ill.mus secundus Consultor).

Attento exitu huius suffragationis decernitur ut §§ 2-3 ponantur tamquam can. 15 bis.

Exc.mus Secretarius proponit ut § 4 deleatur. Quod omnibus placet.

Canon 7

§ 1. Qui decretum fert, id p^{rae} oculis habeat et intendat, quod animarum saluti et publico bono maxime conducere videatur, servata quidem lege et generali et particulari, iustitia, canonica aequitate.

§ 2. Decretum scripto feratur, expressis, saltem summarie, motivis.

§ 3. Conferentia episcopalis potest statuere ut quaedam decreta, in quibus motiva exprimere superfluum sit, possint sine motivis expressis ferri, firma tamen obligatione motiva significandi superiori vel iudici, qui de recursu forte adversus decretum proposito videbit.

Quoad § 3 placet Consultoribus ut deleatur.

Circa §§ 1 et 2 Consultores concordes sunt ut transferantur in Lib. *De Normis Generalibus*.

Maior pars Consultorum votum exprimit ut § 2 ita emendetur: «...expressis, saltem summarie, motivis, nisi ea exprimere superfluum videatur».

Fit suffragatio placeatne haec emendatio:

Placet n. 8; non placet n. 1 (Ill.mus secundus Consultor).

Canon 8

§ 1. Decretum tunc perfectum habetur, cum ei, ad quem destinatur, ad normam cann. 1716-1722 Codicis Iuris Canonici est notificatum, vel aliter scripto intimatum; quod si gravissima ratio obstet ne scriptus decreti textus tradatur, potest superior iubere ut decretum ei coram ecclesiastico notario vel coram duobus testibus legatur, processu verbali redacto, ab omnibus praesentibus subscribendo.

§ 2. Si autem is, ad quem decretum destinatur, rite vocatus ad decretum accipiendo vel audiendum, sine iusta causa non comparuerit vel subscribere recusaverit, decretum pro intimato habetur.

Consultoribus placet ut in § 1 dicatur «... cum ei, ad quem destinatur, legitime notificatur vel aliter scripto intimatur; quod si etc...».

Can. 8, de communi sententia Consultorum, transferri debet in Lib. *De Normis Generalibus*.

III. DE TRIBUNALIBUS ADMINISTRATIVIS CONSTITUENDIS

Canon 9

§ 1. Unusquisque Episcopus potest in sua dioecesi tribunal administrativum constituere, cuius sit iudicare in primo gradu de recursibus adversus decreta lata ab auctoritatibus, quae ipsi Episcopo subsunt.

§ 2. Conferentia episcopalis potest statuere ut in omnibus dioecesibus tribunal, de quo in § 1, ab Episcopo constituatur.

Exc.mus Secretarius proponit ut hic canon deleatur, quia ad ferenda decreta requiritur potestas administrativa in foro externo; iamvero auctoritates, quae Episcopo subsunt, non habent talem potestatem et ideo deest materia de qua iudicare possint tribunalia dioecesana hic delineata.

Rev.mus septimus et Ill.mus secundus Consultores censem auctoritates quae Episcopo subsunt quandam potestatem iurisdictionis habere qua aliquos actus administrativos ponere possunt; quare ipsi petunt ut can. 9 retineatur, secus omnes recursus contra tales actus videbuntur a tribunali administrativo a Conferentia episcopali constituto, ab organo scilicet quod erit extra ambitum iurisdictionis Episcopi.

Rev.mus primus Consultor censem can. 9 supprimi posse, quia de recursibus adversus decreta, lata ab auctoritatibus quae Episcopo subsunt, videre potest illud consilium vel officium de quo in can. 15, § 2.

Fit suffragatio placeatne supprimere can. 9, stante can. 15, § 2:
Omnibus placet.

Canon 10

§ 1. Unaquaeque Conferentia episcopales tribunal administrativum stabiliter constituat, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant in primo gradu de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata, salvis praescriptis cann. 9 et 27.

§ 2. Conferentia episcopalis potest statuere ut hoc tribunal competens sit ad videndum etiam de recursibus adversus decreta ab omnibus vel nonnullis ipsius Conferentiae organis, non autem ab ipsa Conferentia, lata; quod si ea tribunalia plura sint, potest huiusmodi competentia vel uni vel pluribus tribui.

Ill.mus secundus Consultor monet alios Consultores ut considerent utrum conveniat, attentis circumstantiis, Conferentiis Episcoporum dare facultatem potius quam obligationem constituendi tribunalia administrativa.

Exc.mus Secretarius timet ne male accipiatur in Ecclesia haec regressio, postquam plura dicta sint de opportunitate ac necessitate tribunalia administrativa constituendi, ordinata secundum diversos gradus et species, ut defensio iurium subiectivorum habeat in eisdem propriam et canonicam proceduram.

Consultores rem attente considerant et suas sententias exprimunt, quae videntur convenire circa opportunitatem instaurandi pedetemptim hanc novam ordinationem iustitiae administrativae in Ecclesia, eo vel magis quod etiam in casu recursus hierarchici patet via adeundi Sectionem Alteram Signaturae Apostolicae, contra decisionem competentis Dicasterii, ut ipsa videat de legitimitate actus impugnati. Praeterea in multis regionibus adsunt difficultates organizandi nova tribunalia, ob parentiam iudicum et aliorum administratorum tribunalium.

His de causis placet omnibus Consultoribus ut non imponatur obligatio constituendi tribunalia administrativa. Quare in § 1 can. 10 dici debet:

« Unaquaque Episcoporum Conferentia tribunal administrativum stabili-
ter *constituere potest*, vel, si opus sit ... ab inferioribus auctoritatibus extra
iudicium lata ».

Suppressa sunt verba « salvis praescriptis cann. 9 et 27 ».

Canon 11

§ 1. Conferentia episcopalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere appellationibus recipiendis adversus sententias in primo gradu latas a tribunalibus, de quibus in cann. 9 et 10.

§ 2. Quod si fecerit:

a) adversus sententiam primi gradus appellari potest vel ad hoc tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen aliis ad aliud tribunal appellat, competentia in secundo gradu est penes Signaturam Apostolicam, nisi haec aliter decernat;

b) adversus sententiam latam a tribunali de quo in § 1 datur applicatio ad Signaturam Apostolicam.

In § 1 dici debet: «... a tribunalibus, de quibus in can. 10 ».

Canon 12

Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae videt:

a) in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a Conferentiis episcopalibus, a conciliis particularibus, a Sanctae Sedis dicasteriis, et generatim a qualibet auctoritate ecclesiastica infra Romanum Pontificem, praeter casus, de quibus in cann. 9 et 10;

b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latae a tribunalibus administrativis primi vel secundi gradus, servatis tamen praescriptis can. 11 § 2.

Consultoribus placet formulam sub *a)* ita mutare: «in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a Sanctae Sedis Dicasteriis».

Canon 13

§ 1. Iudices et Promotor Iustitiae in tribunalibus administrativis sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in recursibus adversus ipsum proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint; ii autem, qui ad eam dioecesim pertineant, in qua decretum latum est, non possunt iudices esse, nisi agatur de tribunalibus dioecesanis, de quibus in can. 9.

§ 2. Conferentia episcopalis potest permittere ut ex iusta causa unus vel duo ex tribunalis collegialis iudicibus sint idonei diaconi vel etiam viri laici, nisi iudicandum sit de recursu adversus decretum ab Episcopo vel a coetu cui praesit Episcopus latum.

Expungi debent e § 1 verba: «nisi agatur de tribunalibus dioecesanis, de quibus in can. 9».

Omnibus Consultoribus placet delere § 2, quia, fere omnes recursus apud tribunal administrativum erunt adversus decreta Episcopi et non decet ut diaconi vel laici iudicium ferant de actibus Episcopi.

Adunatio VII^a
die 11 iunii 1979 habita

Convocati sunt Consultores pro hac adunatione ad complendam recognitionem Schematis *De procedura administrativa in genere*.

Praesentes sunt Exc.mi Castillo Lara et Sabattani, Rev.mi Pinto, O'Connell, Gordon et Ill.mus Ciprotti.

Munere praesidis functus est Exc.mus Secretarius Castillo Lara et munere actuarii Rev.mus Voto, Officialis Commissionis.

IV. DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA

1. *Normae communes*

Canon 14

Adversus decreta extra iudicium lata non datur actio judicialis coram tribunalibus ordinariis, etiamsi quis contendat decreto ius suum esse laesum et

damna esse reparanda; sed qui se decreto gravatum putat, potest, prout maluerit, vel ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, recurrere, vel, si legitima adsint motiva, ad tribunal administrativum.

Hic canon supprimitur, stante can. 1, § 2 Libri *De processibus*.

Canon 15

§ 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda communi Consilio curetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem et studium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per iustum compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur.

§ 2. Conferentia episcopalis potest statuere ut in unaquaque dioecesi officium quoddam vel consilium stabiliter constituatur, cui, secundum normas ab ipsa Conferentia statuendas, munus sit aequas solutiones quaerere et suggerere, praesertim si agatur de decretis ab Episcopo vel ab auctoritate ei subiecta latis; etiam autem si Conferentia id non iusserit, potest Episcopus eiusmodi consilium vel officium constituere.

§ 3. Officium vel consilium, de quo in § 2, tunc praecipue operam navet, cum revocatio decreti petita sit ad normam can. 16, neque termini ad recurrentem sint elapsi; quod si adversus decretum recursus propositus sit, ipse superior vel iudex, qui de recursu videt, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ad eiusmodi solutiones quaerendas.

Consultoribus placet expungere e § 2 verba: «praesertim si agatur de decretis ab Episcopo vel ab auctoritate ei subiecta latis».

Hic poni debet, tamquam can. 15 bis, formula can. 6, §§ 2-3.

Canon 16

§ 1. Antequam quis recursum proponat adversus decretum, debet ab ipso decreti auctore revocationem vel emendationem decreti scripto petere; qua petitione proposita, etiam suspensio executionis eo ipso petita intelligitur.

§ 2. Petitio fieri debet intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto ad normam can. 8 intimato, nisi lex particularis, de qua in cann. 3-4, longiorem terminum statuat.

§ 3. Normae §§ 1 et 2 non valent:

a) de recursu proponendo ad Episcopum vel ad tribunal administrativum diocesanum, ad normam can. 27;

b) de recursu proponendo adversus decretum, quo recursus hierarchicus deciditur, nisi decisio data sit ab Episcopo;

c) de recursibus proponendis ad normam cann. 6, 17, vel 26.

Consultoribus placet ita textum § 1 emendare: «Antequam quis recursum proponat, debet decreti revocationem vel emendationem scripto ab ipsius auctore petere ...».

Formula § 2 ita redigitur:

«Petitio fieri debet intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto legitime intimato».

Canon 17

§ 1. Si intra triginta dies, ex quo petitio, de qua in can. 16, ad ipsum per venerit, decreti auctor novum decretum intimet, quo vel prius emendet vel petitionem reiciendam esse decernat, termini ad recurrendum decurrunt ex novi decreti intimatione; sin autem intra triginta dies nihil decernat, termini decurrunt ex tricesimo die.

§ 2. Antequam terminus, de quo in § 1, decurrat, potest decreti auctor terminum ipsum scripto prorogare, non tamen ultra tres alios menses, dummodo caveat ne ullo modo decretum interim exsequatur; quod si forte decretum, etiam praeter eius voluntatem, ex toto vel ex parte executionem nihilominus habeat, recursus statim proponi potest, firma quidem termini prorogatione.

Exc.mus Secretarius proponit ut § 2 deleatur.

Omnibus placet.

Canon 18

§ 1. Si decretum latum sit ex potestate delegata, omnia, quae in cann. 16 et 17 eius auctori tribuuntur, ad delegantem sunt referenda.

§ 2. Quod si petitio, de qua in can. 16, ad delegatum missa est, hic debet rem statim ad delegantem deferre; termini autem, de quibus in can. 17, ex die quo petitio ad delegatum pervenit sunt computandi.

Rev.mus primus Consultor proponit ut hic canon deleatur quia tales normae ex principiis generalibus facile deduci possunt.

Fit suffragatio placeatne delere canonem:

Placet n. 3; non placet n. 2; se abstinet a sententia ferenda n. 1.

Canon 19

§ 1. In iis materiis, in quibus recursus hieraticus suspendit decreti exsecutionem, idem efficit etiam petitio, de qua in can. 16.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies, ex quo petitio de qua in can. 16 ad ipsum pervenerit, auctor ipse decreti exsecutionem suspendendam decreverit aut terminum de quo in can. 17 § 1 prorogaverit, potest suspensio interim peti ab eius superiore hieratico, qui eam decernere potest gravibus tantum de causis et cauto semper ne quid salus animarum detrimenti capiat.

§ 3. Suspensa decreti exsecutione ad normam § 2, si postea recursus proponatur, is, qui de recursu videre debet, ad normam cann. 22 § 3 et 31 § 1 decernet utrum suspensio sit confirmando an revocanda.

§ 4. Si nullus recursus neque ad superiorem hieraticum neque ad tribunal administrativum intra statutum terminum adversus decretum proponatur, vel si recursus proponatur tantum ad petendam damnorum reparationem, suspensio exsecutionis, ad normam § 1 vel § 2 interim effecta, eo ipso cessat.

Expungi debent e § 2 verba: «aut terminum de quo in can. 17, § 1 prorogaverit».

Canon 20

§ 1. Superior, coram quo pendet recursus hieraticus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens; tribunal autem iudicabit ad normam can. 25 §§ 1 et 3.

§ 2. Recursus ad tribunal administrativum propositus potest, quandiu lis in primo iudicii gradu pendeat, ad superiorem hieraticum transferri, si omnes partes consentiant; superior autem iudicabit ad normam can. 23.

§ 3. Conferentia episcopalis statuere potest ut pendente recursu vel lite numquam possit ab una ad alteram viam transiri.

Ill. mus secundus Consultor proponit ut in § 2 dicatur «providebit» loco «iudicabit».

Omnibus placet.

Omnibus Consultoribus placet § 3 delere.

Canon 21

§ 1. Quilibet recursus potest proponi coram ipso decreti auctore, dummodo tamen in ipso recursu indicetur utrum dirigatur ad illius superiorem an ad tribunal administrativum.

§ 2. Quoties adversus idem decretum intra terminos iure statutos propositi sint recursus et ad superiorem hierarchicum et ad tribunal administrativum, vel in casu de quo in § 1 non pateat ad quem recursus dirigatur, competens est superior hierarchicus; quod si recursus hierarchicus vel recursus sine indicatione de qua in § 1 propositus sit propter sola motiva in can. 25 § 1 recensita, competentia est penes tribunal administrativum.

Exc.mus Secretarius proponit ut expungantur e § 2 verba: « intra terminos iure statutos », utpote superflua.

Omnibus placet.

Idem Exc.mus Secretarius proponit ut deleatur alia pars § 2 « quod si recursus hierarchicus etc... ».

Omnibus placet.

2. De recursu hierarchico

Canon 22

§ 1. Qui se decreto gravatum esse contendit, potest ad superiorem hierarchicum eius, qui decretum tulit, propter quodlibet iustum motivum recurrere, servatis praescriptis, quae de hac re in Codice Iuris Canonici aliisque canonicis legibus statuuntur.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum decem dierum utilium, qui in casibus de quibus in can. 16 § 3 decurrent ex die quo decretum intimatum est, in ceteris autem casibus decurrent ad normam can. 17.

§ 3. Etiam in casibus, in quibus recursus non suspendit ipso iure decreti exsecutionem neque suspensiō ad normam can. 19 § 2 decreta est, potest tamen gravi de causa superior iubere ut exsecutio suspendatur, cauto tamen ne quid salus animarum detrimenti capiat.

Exc.mus Secretarius proponit ut in § 1 deleantur verba « servatis praescriptis, quae... ».

Omnibus placet.

Rev.mus primus Consultor proponit ut in § 2 dicatur « intra peremptorium terminum quindecim dierum » loco « decem dierum ».

Omnibus placet, excepto Ill.mos secundo Consultore.

Hic ponit debet tamquam can. 22 bis normam can. 5, § 2, id est:

« Recurrens semper ius habet advocationem vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituantur, si recurrens patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrens ipse compareat ut interrogetur ».

Canon 23

Superior, qui de recursu videt, nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat, easdem habet, quas decreti auctor in ea re habebat; itaque ei licet, prout casus ferat, et servatis praescriptis cann. 5, 6 et 7, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel, si id magis expedit a superiore fieri, emendare, subrogare, ei obrogare.

Exc.mus Secretarius proponit ut deleantur verba «et servatis praescriptis cann. 5, 6, 7».

Omnibus placet.

Exc.mus Relator proponit ut deleantur verba «nisi lex minores vel maiores potestates ei tribuat», quia inducere possunt in errorem.

Ill.mus secundus Consultor vellet haec verba retinere quia in aliquo casu alius superior dari potest qui non sit vel Episcopus vel S. Sedes.

Alii Consultores censem quod superior erit semper vel Episcopus vel S. Sedes, et ideo illa verba supprimi possunt.

Post hanc discussionem, omnibus placet ita canonem redigere:

«Superiori, qui de recursu videt, licet prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam».

Canon 24

Recursus, qui propositus sit post transactum terminum in can. 22 § 2 statutum, vel non servatis praescriptis can. 16, nullum habet proprium recursuum effectum; potest autem a superiore libere, pro pastorali ipsius prudentia et intra ambitum suae potestatis, considerari.

Exc.mus Secretarius proponit ut hic canon deleatur, utpote superfluus.

Omnibus placet, excepto Ill.mo secundo Consultore.

*3. De recursu ad tribunal administrativum**Canon 25*

§ 1. Adversus decretum extra iudicium latum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus deciditur, potest is, cuius interest, ad tribunal administrativum, competens in primo gradu ad normam cann. 9-12, recurrere, si contendat errorem iuris adfuisse in decernendo vel violatam esse legem in procedendo, vel motiva in decreto allata non esse vera.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum utilium, servato, quod attinet ad termini initium, praescripto can. 22 § 2.

§ 3. Tribunal potest decretum, quod illegitimum iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare; numquam autem potest de alicuius doctrinae circa fidem vel mores veritate vel errore iudicare.

Proponente Ill.mo secundo Consultore, § 1 ita redigitur:

«Adversus decretum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus deciditur, is qui se gravatum esse contendat potest ad tribunal administrativum, competens in primo gradu ad normam cann. 10-12, recurrere propter legis violationem in decernendo vel in procedendo vel propter motiva non vera in actu administrativo allata».

Pinto addere vellet: «Adversus decretum, extra judicium latum, etiamsi ...».

Ill.mus secundus Consultor respondet hanc determinationem non esse necessariam, quia habetur in can. 1.

Haec redactio § 1 omnibus placet.

Canon 26

§ 1. Si forte decretum, quod illegitimum sit ad normam can. 25 § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest ad tribunal administrativum recurrere ad damnorum reparationem petendam; quod si tribunal non debeat etiam de recursu ad normam can. 25 proposito iudicare, potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimitate videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam.

§ 2. Ad recursum hunc proponendum lex particularis, de qua in can. 3, statuit terminum peremptorium non ultra annum, qui decurrit ex die quo damnum factum est; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum petitio de damnis reparandis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam cann. 22 et 23, de damnis tamen, si forte debeantur, officium eius, qui primum tulit decretum, respondet; officium autem superioris, qui decretum ad normam eorum canonum mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione et ius subiectivum sit laesum et damna obvenerint.

Cum can. 3 suppressus sit, Consultores decernunt ut in § 2 ita dicatur: «Ad recursum hoc proponendum datur terminus peremptorius unius anni, qui decurrit ...».

4. Normae speciales de recursibus adversus decreta eorum, qui Episcopo subsunt

Canon 27

§ 1. Adversus decreta lata ab auctoritatibus, quae Episcopo subsunt, siquidem constitutum sit ad normam can. 9 tribunal administrativum dioecesanum, recurre potest vel ad Episcopum vel ad tribunal administrativum dioecesanum; si eiusmodi tribunal desit, unus datur recursus ad Episcopum.

§ 2. Recursus ad Episcopum regitur normis cann. 22-24, recursus autem ad tribunal administrativum dioecesanum regitur normis cann. 25 et 26; termini ad recurrentum decurrunt ex die, quo decretum intimatum est.

Canon 28

§ 1. Adversus decretum Episcopi, qui decidat de recursu de quo in can. 27 § 1, recurre potest, ad normam cann. 14 et seqq., vel via hierarchica vel via iudiciali; in altero casu competens est tribunal administrativum, de quo in can. 10.

§ 2. Adversus sententiam tribunalis administrativi dioecesani appellatio proponitur ad tribunal de quo in can. 11, si adsit; si eiusmodi tribunal non adsit, appellatio proponenda est ad Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae.

§ 3. Quod si qua pars renuat iudicem esse unicum nec tribunal collegiale apte parari possit, iudicium ex officio deferatur:

a) si competens sit tribunal dioecesanum, de quo in can. 9, ad tribunal primi gradus a Conferentia episcopali ad normam can. 10, constitutum;

b) in ceteris casibus, ad tribunal secundi gradus, de quo in can. 11 § 1, vel, si hoc non sit constitutum, ad Signaturam Apostolicam.

Attenta suppressione can. 9, placet Consultoribus ut recursus adversus decreta eorum, qui Episcopo subsunt, sequenti norma regantur, suppressis cann. 27-28:

«Canon 27

§ 1. Adversus decreta lata ab auctoritatibus quae Episcopo subsunt unus datur recursus ad Episcopum.

§ 2. Adversus decretum Episcopi, qui decidat de recursu de quo in § 1, recurre potest vel ad superiorem hierarchicum vel ad tribunal administrativum competens ».

*5. De ratione procedendi apud tribunalia administrativa**Canon 29*

§ 1. Tribunal administrativum primi gradus, sive ab Episcopo sive a Conferentia episcopali constitutum, iudicat per collegia trium iudicum; tribunal secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum, prout lex particularis, vel, ea silente vel permittente, tribunalis praeses statuerit.

§ 2. Si difficile sit tribunal collegiale semper paratum habere, Conferentia episcopalis potest statuere ut omnia vel nonnulla iudicia primi gradus ad iudicem unicum possint deferri.

§ 3. Quod si qua pars renuat iudicem esse unicum nec tribunal collegiale apte parari possit, iudicium ex officio deferatur:

a) ad tribunal de quo in can. 10, si competens esset tribunal dioecesanum, de quo in can. 9;

b) ad tribunal administrativum, quod competens esset appellationi recipiendae, in ceteris casibus.

Aliqui Consultores proponunt ut supprimatur § 2, quia decet ut causae de decretis Episcopi semper per collegium iudicentur. Cum haec propositio omnibus placeat, can. 29 ita redigitur:

«Tribunal administrativum primi gradus, a Conferentia episcopali constitutum, iudicat per collegia trium iudicum; tribunal secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum, prout tribunalis praeses statuerit».

Canon 30

Iudiciis adesse semper debet promotor iustitiae, servato praescripto can. 1587 § 1 Codicis Iuris Canonici.

Canon 31

§ 1. Quolibet iudicii tempore, si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, auditio saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu exsecutio decreti suspensa maneat, cauto tamen ne quid salus animarum detimenti capiat.

§ 2. Quoties autem lex statuit ex recursu hierarchico suspendi ipso iure decreti exsecutionem, idem efficitur etiam ex recursu ad tribunal administrativum.

Canon 32

Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iique omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, sunt qui- dem in iudicium vocandi, sed possunt libere a iudicio abesse nisi iudex eos comparere iubeat ut audiantur.

Canon 33

Recepto recursu, iudex quamprimum sessionem indicat, qua:

- a) quaestio de incompetentia, si forte oriatur, et exceptiones peremptoriae, quae quidem tres saltem ante dies omnibus partibus significatae sint, ore tractentur et sententia decidantur, nisi omnino necessaria videatur brevissima dilatio;
- b) de suspendendo decreto impugnato ad normam can. 31 § 1 vel de confirmanda vel revocanda suspensione ad normam can. 19 § 3, si casus ferat, decernatur;
- c) de solutione ad normam can. 15 quaerenda tractetur;
- d) de probationibus colligendis, si forte necessarium sit, decernatur.

Canon 34

Si tribunal se incompetens iudicaverit, recursus minime caret effectu, sed est statim ad tribunal competens remittendus.

Canon 35

Curet tribunal ut post primam sessionem quamprimum colligantur probationes; testium autem depositionibus partes eorumque patroni adesse possunt, nisi tribunal propter graves rationes aliter statuendum censeat.

Canon 36

§ 1. Collectis probationibus et apud tribunalis cancellariam depositis, par- tes vocandae sunt ad sessionem discussionis, quae, nisi gravis ratio aliud suadeat, ore est facienda.

§ 2. Haec sessio ita, sub poena nullitatis, indicenda est, ut partibus tres saltem dies utiles sint ad probationes inspiciendas et transcribendas; caveatur

tamen, quatenus fieri possit, ne hoc intervallum superet quindecim dies, nisi exsecutio decreti primum impugnati sit suspensa et eius auctor in dilationem consentiat.

Canon 37

§ 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione competriatur, vel aliud exsistat quod impedit sententiam rite proferre, causa in fine sessionis, de qua in can. 36, decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustum causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies partibus notificetur.

Consultoribus placet ut cann. 30-37 maneant prouti sunt.

Canon 38

§ 1. Adversus tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in aliquo gradu finem ponant, haec tantum dantur iuris remedia, ad normam Codicis Iuris Canonici exercenda:

a) appellatio quae non admittitur si decisio sit conformis decisioni praecedentis gradus et neutra sit nulla;

b) oppositio tertii;

c) restitutio in integrum propter motiva in can. 1905 § 2, nn. 1, 2, 3 recensita.

§ 2. Adversus alias tribunalis administrativi decisiones, quibus aliquis excluditur a iudicio, hic potest appellationem vel restitutionem in integrum ad normam § 1 proponere.

Consultoribus placet canonem ad simpliciorem formam ita redigere:

«Adversus tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in aliquo gradu finem ponant, dantur impugnationes ad normam iuris».

Canon 39

§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere (CIC lib. IV, pars I, sect. 1), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus; item servanda sunt praescripta legum particularium, quae ad normam can. 3 latae sint.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

Consultoribus placet ita § 1 emendare:

«In ceteris ... de iudiciis in genere ac de iudicio contentioso (ordinario), servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus».

CANONES APPROBATI

PARS QUINTA DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA

Sectio I

DE PROCEDURA ADMINISTRATIVA IN GENERE

Can. 1

Quae in canonibus huius sectionis de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad omnes administrativos actus singulares, qui in foro externo extra iudicium dantur, iis exceptis, qui ab ipso Romano Pontifice vel ab ipso Concilio Oecumenico ferantur.

Titulus I

DE TRIBUNALIBUS ADMINISTRATIVIS CONSTITUENDIS

Can. 10

§ 1. Unaquaeque Episcoporum Conferentia tribunal administrativum stabiliter constituere potest, vel, si opus sit, plura per territorium distributa, quae videant in primo gradu de recursibus adversus decreta ab Episcopis vel ab inferioribus auctoritatibus extra iudicium lata.

§ 2. Conferentia episcopalis potest statuere ut hoc tribunal competens sit ad videndum etiam de recursibus adversus decreta ab omnibus vel nonnullis ipsius Conferentiae organis, non autem ab ipsa Conferentia, lata; quod si ea tribunalia plura sint, potest huiusmodi competentia vel uni vel pluribus tribui.

Can. 11

§ 1. Conferentia episcopalis potest etiam unum tribunal administrativum secundi gradus constituere appellationibus recipiendis adversus sententias in primo gradu latas a tribunalibus, de quibus in can. 10.

§ 2. Quod si fecerit:

a) adversus sententiam primi gradus appellari potest vel ad hoc tribunal secundi gradus vel ad Signaturam Apostolicam; si tamen aliud tribu-

nal appellat, competentia in secundo gradu est penes Signaturam Apostolicam, nisi haec aliter decernat;

b) adversus sententiam latam a tribunal de quo in § 1 datur appellatio ad Signaturam Apostolicam.

Can. 12

Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae videt:

a) in primo gradu de recursibus adversus decreta lata vel approbata a Sanctae Sedis dicasteriis;

b) in secundo vel tertio gradu de appellationibus adversus sententias latas a tribunalibus administrativis primi vel secundi gradus, servatis tamen praescriptis can. 11 § 2.

Can. 13

Iudices et Promotor Iustitiae in tribunalibus administrativis sint idonei sacerdotes, qui in decreto ferendo vel in recursibus adversus ipsum proponendis vel iudicandis nullam partem habuerint; ii autem, qui ad eam dioecesim pertineant, in qua decretum latum est, non possunt iudices esse.

Titulus II

DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA

Caput I

Normae communes

Can. 15

§ 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda communi consilio curetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem et studium forte adhibitis, ita ut vel per voluntariam decreti emendationem vel per iustum compensationem vel per aliam idoneam viam controversia vitetur vel dirimatur.

§ 2. Conferentia Episcoporum potest statuere ut in unaquaque dioecesi officium quoddam vel consilium stabiliter constituatur, cui, secundum normas ab ipsa Conferentia statuendas, munus sit aequas solutiones quaerere et

suggerere; etiam autem si Conferentia id non iusserit, potest Episcopus eiusmodi consilium vel officium constituere.

§ 3. Officium vel consilium, de quo in § 2, tunc praecipue operam navet, cum revocatio decreti petita sit ad normam can. 16, neque termini ad recursum sint elapsi; quod si adversus decretum recursus propositus sit, ipse superior vel iudex, qui de recursu videt, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ad eiusmodi solutiones quaerendas.

Can. 16

§ 1. Antequam quis recursum proponat, debet decreti revocationem vel emendationem scripto ab ipsius auctore petere; qua petitione proposita, etiam suspensio exsecutionis eo ipso petita intelligitur.

§ 2. Petatio fieri debet intra peremptorium terminum decem dierum utilium a decreto legitime intimato.

§ 3. Normae §§ 1 et 2 non valent:

- a) de recursu proponendo ad Episcopum vel ad tribunal administrativum dioecesanum, ad normam can. 27;
- b) de recursu proponendo adversus decretum, quo recursus hierarchicus deciditur, nisi decisio data sit ab Episcopo;
- c) de recursibus proponendis ad normam cann. 15 bis, 17, vel 26.

Can. 17

Si intra triginta dies, ex quo petitio, de qua in can. 16, ad ipsum pervenerit, decreti auctor novum decretum intimet, quo vel prius emendet vel petitionem reiciendam esse decernat, termini ad recursum decurrent ex novi decreti intimatione; sin autem intra triginta dies nihil decernat, termini decurrent ex tricesimo die.

Can. 19

§ 1. In iis materiis, in quibus recursus hierarchicus suspendit decreti exsecutionem, idem efficit etiam petitio, de qua in can. 16.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies, ex quo petitio de qua in can. 16 ad ipsum pervenerit, auctor ipse decreti exsecutionem suspendendam

decreverit, potest suspensio interim peti ab eius superiore hierarchico, qui eam decernere potest gravibus tantum de causis et cauto semper ne quid salus animarum detrimenti capiat.

§ 3. Suspensa decreti exsecutione ad normam § 2, si postea recursus proponatur, is, qui de recursu videre debet, ad normam cann. 22 § 3 et 31 § 1 decernet utrum suspensio sit confirmando an revocanda.

§ 4. Si nullus recursus neque ad superiore hierarchicum neque ad tribunal administrativum intra statutum terminum adversus decretum proponatur, vel si recursus proponatur tantum ad petendam damnorum reparationem, suspensio exsecutionis, ad normam § 1 vel § 2 interim effecta, eo ipso cessat.

Can. 20

§ 1. Superior, coram quo pendet recursus hierarchicus, potest recursum ad tribunal administrativum competens remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens; tribunal autem iudicabit ad normam can. 25 §§ 1 et 3.

§ 2. Recursus ad tribunal administrativum propositus potest, quandiu lis in primo iudicii gradu pendeat, ad superiore hierarchicum transferri, si omnes partes consentiant; superior autem providebit ad normam can. 23.

Can. 21

§ 1. Quilibet recursus potest proponi coram ipso decreti auctore, dummodo tamen in ipso recursu indicetur utrum dirigatur ad illius superiore an ad tribunal administrativum.

§ 2. Quoties adversus idem decretum propositi sint recursus et ad superiore hierarchicum et ad tribunal administrativum, vel in casu de quo in § 1 non pateat ad quem recursus dirigatur, competens est superior hierarchicus.

Caput II*De recursu hierarchico**Can. 22*

§ 1. Qui se decreto gravatum esse contendit, potest ad superiore hierarchicum eius, qui decretum tulit, propter quodlibet iustum motivum recurrere.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium, qui in casibus de quibus in can. 16 § 3 decurrent, ex die quo decretum intimatum est, in ceteris autem casibus decurrent ad normam can. 17.

§ 3. Etiam in casibus, in quibus recursus non suspendit ipso iure decreti exsecutionem neque suspensio ad normam can. 19 § 2 decreta est, potest tamen gravi de causa superior iubere ut exsecutio suspendatur, cauto tamen ne quid animarum detrimenti capiat.

Can. 22 bis

Recurrens semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrens patrono careat et superior necessarium censeat; semper tamen potest superior iubere ut recurrens ipse compareat ut interrogetur.

Can. 23

Superiori, qui de recursu videt, licet, prout casus ferat, non solum decretum confirmare vel irritum declarare, sed etiam rescindere, revocare, vel, si id magis expedit a superiore fieri, emendare, subrogare, ei obrogare.

Caput III

De recursu ad tribunal administrativum

Can. 25

§ 1. Adversus decretum, etiamsi agatur de decreto quo recursus hieraticus deciditur, is qui se gravatum esse contendat, potest ad tribunal administrativum, competens in primo gradu ad normam cann. 10-12, si adsit, recurrere, propter legis violationem in decernendo vel in procedendo, vel propter motiva non vera in actu administrativo allata.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum utilium, servato, quod attinet ad termini initium, praescripto can. 22, § 2.

§ 3. Tribunal potest decretum, quod illegitimum iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare; numquam autem potest de alicuius doctrinae circa fidem vel mores veritate vel errore iudicare.

Can. 26

§ 1. Si forte decretum, quod illegitimum sit ad normam can. 25 § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest ad tribunal administrativum recurrere ad dam-

norum reparationem petendam; quod si tribunal non debeat etiam de recursu ad normam can. 25 proposito iudicare, potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimitate videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam.

§ 2. Ad recursum hunc proponendum datur terminus peremptorius unius anni, qui decurrit ex die quo damnum factum est; terminus autem tandem suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum petitio de damnis reparandis cumulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a superiore ad normam cann. 22 et 23, de damnis tamen, si forte debeantur, officium eius, qui primum tulit decretum, respondet; officium autem superioris, qui decretum ad normam eorum canonum mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione et ius subiectivum sit laesum et damna obvenerint.

Caput IV

Normae speciales de recursibus adversus decreta eorum, qui Episcopo subsunt

Can. 27

§ 1. Adversus decreta lata ab auctoritatibus, quae Episcopo subsunt, unus datur recursus ad Episcopum.

§ 2. Adversus decretum Episcopi, qui decidat de recursu de quo in § 1, recurre potest vel ad superiorem hieraticum vel ad tribunal administrativum competens, si adsit.

Titulus III

DE RATIONE PROCEDENDI APUD TRIBUNALIA ADMINISTRATIVA

Can. 29

Tribunal administrativum primi gradus, a Conferentia episcopali constitutum, iudicat per collegia trium iudicium; tribunal secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicium, prout tribunal is praeses statuerit.

Can. 30

Iudiciis adesse semper debet promotor iustitiae, servato praescripto can. 32 (de Processibus).

Can. 31

§ 1. Quolibet iudicii tempore, si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, auditio saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu exsecutio decreti suspensa maneat, cauto tamen ne quid salus animarum detrimenti capiat.

§ 2. Quoties autem lex statuit ex recursu hierachico suspendi ipso iure decreti exsecutionem, idem efficitur etiam ex recursu ad tribunal administrativum.

Can. 32

Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iisque omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, sunt quidem in iudicium vocandi, sed possunt libere a iudicio abesse nisi iudex eos comparere iubeat ut audiantur.

Can. 33

Recepto recursu, iudex quamprimum sessionem indicat, qua:

a) quaestio de incompetentia, si forte oriatur, et exceptiones peremptoriae, quae quidem tres saltem ante dies omnibus partibus significatae sint, ore tractentur et sententia decidantur, nisi omnino necessaria videatur brevissima dilatio;

b) de suspendendo decreto impugnato ad normam can. 31 § 1 vel de confirmando vel revocanda suspensione ad normam can. 19 § 3, si casus ferat, decernatur;

c) de solutione ad normam can. 15 quaerenda tractetur;

d) de probationibus colligendis, si forte necessarium sit, decernatur.

Can. 34

Si tribunal se incompetens iudicaverit, recursus minime caret effectu, sed est statim ad tribunal competens remittendus.

Can. 35

Curet tribunal ut post primam sessionem quamprimum colligantur probationes; testium autem depositionibus partes earumque patroni adesse possunt, nisi tribunal propter graves rationes aliter statuendum censeat.

Can. 36

§ 1. Collectis probationibus et apud tribunalis cancellariam depositis, partes vocandae sunt ad sessionem discussionis, quae, nisi gravis ratio aliud suadeat, ore est facienda.

§ 2. Haec sessio ita, sub poena nullitatis, indicenda est, ut partibus tres saltem dies utiles sint ad probationes inspiciendas et transcribendas; caveatur tamen, quatenus fieri possit, ne hoc intervallum supereret quindecim dies, nisi exexecutio decreti primum impugnati sit suspensa et eius auctor in dilationem consentiat.

Can. 37

§ 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione competriatur, vel aliud existat quod impedit sententiam rite proferre, causa in fine sessionis, de qua in can. 36, decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustum causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies partibus notificetur.

Can. 38

Adversus tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in aliquo gradu finem ponant, dantur impugnationes ad normam iuris.

Can. 39

§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere ac de iudicio contentioso ordinario, servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus.

§ 2 Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus, quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.